Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-288941-p0001-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-288941-p0002-5

MENSA PLATONICA

NVPER

FESTO GEORGI

INSTRVCTA

JAMQVE

ANNIVERSARIO IOHANNIS

A. S. R. cIↃ IↃ CC XIIX.

LVSV QVODAM POETICO

REPRAESENTATA

A

M. GEORGIO MICHAELIS CASSAI, HVNG.

COLL. PHILOS. ASSESSORE

VITEMBERGAE PRELO GERDESIANO.

11
1718

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-288941-p0003-0

Faucibus erepti Parcae, celebrare GEORGI
Feſta juuat: celeres ergo uenite, SOPHI.
Quando ſecunda ſonat, puncto, poſt ſacra peracta,
Appoſitus charos optat adeſſe cibus.
Serius accedens, ſtomacho male conſulet aegro:
Offula, quem reficit, praeda fit absque mora.
LVHNIVS, en! celebris Doctor, tantum dedit aeris:
Quantum, ut opinor, opus MENSA PLATONIS habet.
Vnanimes igitur, COLLEGÆ, accurrite: tanti
Poſcit id a nobis *Nomen*, *Honosque VIRI.*
Si tamen emaneat quiſquam, juſta ſine cauſa:
Quicquid praetendat, ſuſpicioque ſubeſt,
Ordinis iſte boni quod ſit deſertor inanis,
Vel tua, diue PLATO, menſa minusque ſapit.
Quisque domi linquat loculos: ſunt cuncta parata;
Patroni haud ullam gratia fertque ſtipem.
Non igitur patiar minimum pendatur ut aeris:
Prodiga luxuries nam fugienda Sopho.
Ipſe PLATO grandem, modicoque legumine uiuens,
Ætatem uidit: quanta diaeta poteſt!
Lente *Sophos*, famulo ÆSOPO, uult paſcere XANTHVS:
Grammaticus tamen huic impoſuitque *rigor.*
Sobrius haec *Sophiae Rationalis* mage *cultor*,
BOHNIVS, expediens, meque labore leuat.
Juſcula, piſcis & aſſa caro, lactuca, placentae
Sufficiant; potum patria terra dabit.
Actiuus ſalibus paſcet, ſpero, hoſpes honeſtis:
Latranti his ſtomacho ſi ſatis eſſe queat.
Quid vero facient *paſſiui* quique uocantur?
Nominis hi memores ſint, tolerentque famem.
Mente magisque *Sophos* ſaturos, quam *uentre* juuabit:
Contentus paucis, ſat bene paſtus erit.
Arridet potus peregrinus? rumpe crumenam:
Luxurioſus vel CRETICA uina bibas.
Farrea tardigradus, cum nondum liba pararit,
BIEHL, quid obeſt? panis quotidianus adeſt.
Reddere ſpem dubiam tamen is ſermone, uidetur,
Quem, LÆTARE die, fudit in aede ſacra:
Panibus hordei enim populum cum paſcat IEſus;
Contentos iſtis nos prope praeco cupit.
Aſt his aſſuetum licet haud ſit quodque palatum;
Mens oratoris ſobria ſatque fuit.
Saepius in uaſtam Chriſtus nos ducit eremum:
Omne quod apponit, percipe mente pia.
Quod differt igitur, BIEHL, non negat, huicque probatur
Menſa PLATONIS, quam conſtabilire ſtudet.
Culta, feraxque metalli, ſi CAMENTIVS hucdum
Vaſa minus curet, crimen abeſſe puto.

Lignea,

Lignea, ſueta Sophis, ſi quadra minusque placebit,
Quae praeſtantior eſt, ſubſtituenda tibi.
E nitido cochleare cupis fortaſſe metallo?
Quo pariter facias, ſtat tibi uelle bonum.
Fagina, uel *figlina* tamen, ni forte palatum
Offendat tenerum, commoda quadra ſat eſt.
Stannea dumque *paropſis* abeſt, hinc aſſa uetuſtum
Occupet hoſpitium, ſic meliusque ſapit.
Exornent menſas opulentas ſplendida uaſa;
Mens AGATOCLIS nos ſed meliora docet.
Cunctator, *ſellas* donec conſtruxerit aptas,
THORSCHMIDT, contentos uilibus eſſe uelim.
Ni fuerint cultri, digitis utare miniſtris;
TEVTO tamen minus haec moribus aequa putat.
Nec, GALLVS quaecunque probat, ciuilia dicas:
Foetidus in fimo ſaepius iſte canit.
Linteolis ſtratis ueſtitus damna cauentur:
Nec faciles maculas candida mappa capit.
Sed quis ſufficiat cunctis? inſtructus adeſto
Linteolo, cultris: gratior hoſpes eris.
Corda, manus puras coelum uerſusque leuemus:
Fercula, cum potu, proficiantque bonis.
Appoſitasque dapes hilari nunc promite fronte:
Defectum penſent LIBER & alma CERES.
Sedulus, heus! GANIMEDE, ſcyphos infundere pergas:
Non opus eſt quadra porrige cuique manu.
Inque ſalutem, qui nobis haec gaudia fecit,
PATRONI, libent pocula plena mero.
Ordinis hinc SENIOR uiuat, reliquique colendi
COLLEGÆ ſalui uiuite, uota fero.
Sarmaticus uiuat REX, ELECTOR quoque Saxo:
Et ſummus RECTOR, qui tenet atque VICES.
Conſcriptique PATRES uiuant, illuſtre LYCEVM
Floreat, ac uigeat ſic ſtudioſa COHORS.
Ad finem ueniendo, nihilque tributa timeſcas,
Exactor rigidus non tibi onuſtus erit.
Suſcipiant animoque bono, pro tempore duro,
Fercula cum potu; nil numeraſſe licet.
Creuerit, ut ſperare iubet nos prompta uoluntas,
Exhauſtus Fiſcus, tum meliora fluent.
O ſi, quae ſuaues fructus fert arbor odore,
Ventorum rabie non uiolata foret!
Aurea nec nobis deeſſent, uel Punica mala;
Vuas atque nuces menſa ſecunda daret.
Vere nouo tamen hanc uires reparaſſe uidemus;
Parturiat florens, ſit uegetansque diu.
JVLIA quamque ſuos celebris traduxit in hortos;
Coelitus hanc nimbi flumina laeta rigent.

Caſeus

Caſeus ac *Butyrum* uulgo conuiuia complent;
Queis DOEBELENSIS tempus adeſſe negat.
Venerit hoc quando, nobis ſeruire paratus:
Velle bonum facti ſufficiatque uicem.
Exulet hinc *fumus*, ueſtes qui, muſea, libros,
Defoedat: procul ac THEque COFEque ſient.
Coenam, numne putas fures concludere rite:
Marſupio inſidias nectere quique ſolent?
Muſica demulcens animos, ſi caſta, modeſta,
Ac ſit uocalis, pocula grata facit.
Organa, quae loculos emungunt, inde cauenda,
Artifices ipſi ni fuerintque, Sophis.
Colloquium menſam Sophiae concludat *amicum*;
Hinc *juſto* repetat tempore quisque domum.
Intra quae uelum, caute ſub dicta roſa ſunt,
Diuulgare caue; nil tacuiſſe nocet.
Rimarum plenos igitur procul eſſe jubemus;
Deterius nihil eſt ardelione uago.
Inſipido pungens uerbo uinoſus ACHATEM;
Impenſas ſoluat, PHRYX ſapiatque ſemel.
Spiritus aſt noſtro uillo uix competit iſte,
Quo mentem ualeat praecipitaſſe bonam.
Intulerit ſi quis damnum, ſarcire ſtudebit;
Vitra caduca licet ſint, pretioſa tamen.
Occaſum uerſus ſol uergit, pace bonaque,
Surgite! Finis adeſt; Gloria ſitque Deo.
Exemplo Chriſti gratos cantemus & hymnos.
Pax uigeat, Verbum protegat alma TRIAS.
Conterat ac hoſtes, diros morboſque repellat:
Amoueatque *famem*, uiuere detque pie.
Auferat a nobis iram, meritas quoque poenas:
Vindictam clamans urgeat haudue ſcelus.
Quilibet hinc Praecentorem bene uoce ſonora
Adiuuet; ex TACITO nae mihi uictor eris!
Jam uincens uideor, nullus quem ſtrauit agone;
Eſſe cupis uictor? Cantica mente canas.
Abrumpoque jocos: *Vati* faveatis AMICI:
Tuque piis uotis annue, Sancte DEVS!
Ordinis & uigilem SELECTI ſuſcipe curam:
Quem ſartum tectum proſpera quaeque beent.
Proueniant ex hoc clarorum magna uirorum
Agmina: quae fiant organa grata Deo.

Florida uiuas, *Juncta Sophorum*, *Digna choroque*, *Clara corona.*
Pace uigente, *Mente fauente*, *Laeta celebres*, *Feſta* GEORGI.

)o(

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-288941-p0007-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-288941-p0008-9

11
1718

A PLATONICA

NVPER

STO GEORGI

INSTRVCTA

JAMQVE

RSARIO IOHANNIS

S. R. cIↃ IↃ CC XIIX.

QVODAM POETICO

EPRAESENTATA

A

MICHAELIS CASSAI, HVNG.

PHILOS. ASSESSORE

GAE PRELO GERDESIANO.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-288941-p0009-7